



Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 11. Innocentum orationem ita potentem esse, vt Deo quodammodo manus injciat, si illi velint iustitiæ calcatore[m] in ius deducere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

§. XI.

Innocentum orationem ita potentem esse, et Deo quodammodo manus iniiciat, si illi velint iustitia calcatorem in ius deducere.

Meminerint oppressores isti, Deum Iudicem non solum summum, sed etiam optimum, iam dudum hanc de se parabolam dedisse. *Iudex quidam erat, in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quadam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me, de aduersario meo. Et nolebat, per multum tempus. Post hac autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hac vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens suggillet me. Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se, die ac nocte, ac patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Satis erat si cum iusto & clemente iudice se comparauisset; nunc, si vidua iudicem ferocem, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur, tamen exorauit; quid innocentes de tam iusto & benigno Deo non poterunt sperare,*

re, aut impetrare? *Multum valet oratio iusti, & tantum, ut ipsi Gubernatori orbis quodammodo manus iniiciat. Nam etsi firma sunt decreta Dei, ubi tamen hominis interuenit oratio, decreta sua desinere, & velut abrogare decreuit, cum ea, hac lege, atque conditione temperata sint: Faciam, nisi obstet oratio, nisi intercedat poenitentia &c.* quam, quia vidit intercessuram, absolute decreuit, in tali casu, a priore illo conditionato decreto desistere; & vel ordinarium etiam mundi cursum interrumpere. Ita decreuerat, ob peccatum Dauidis, populum, trium dierum spacio; depopulari; videns autem plagam, illam magnam, primo statim die, illorum trium dierum, ut obseruat Nicolaus de Lyra, aramque & sacrificium ac orationem Regis poenitentis intuens, duos de poena dies remisit. *Et adificauit, ait Scriptura, ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica: & propitiatus est Dominus terra, & cohibita est plaga ab Israel.* Tres dies assignauerat Dominus, ad plagae illationem; sed oratio & sacrificium Dauidis, Domini sententiam reuocauit. Quod etiam oratio Ezechiae effecit. Iam protulerat Deus mortis sententiam, sed vitam adhuc

Iac. 5. 16.

1. Reg. 24. 25.

K 2

rex

Isa. 38. 1. rex sibi exorauit. *Hac dicit Dominus, ait Isaias, dispone domui tuae, quia morieris tu, & non viues: tunc conuersus Ezechias ad parietem, orauit ad Dominum, fletu magno. Et factum est illico verbum, ad eundem Prophetam: Vade, & dic Ezechia: Hac dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adyciam super annos tuos, quindecim annos, & de manu Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Tanta est vis orationis, vt per eam Ezechias sibi, David ingenti hominum numero, vitam prolongarit, etfi Deus oppositum decreuerit facere, idq; decretum, lata sententia, confirmarit. Terreni Principes decreta semel emissa inuiolabilia volunt permanere; nec precibus, nec lachrymis, nec eiulatibus sinunt ea infringi. Non ita inexorabilis est Deus, cuius decretum ac sententiam vnus hominis oratio potest reuocare.

§. XII.

Orationes iustorum, quantam, apud Deum vim habeant, etiam in ipsius natura leges?

Quin adeò multum valet deprecatio iusti, apud Deum, vt quodammodo Deo impera-